

De *TAVATI*, seu *nubilosa herba*. Cap. XXXIV.

HERBA est *Tavati*, seu *nubilosa* planta, quam ob flores comantes, qui nubila imitari solent quadantenus, aut quia nubes oculorum discutit, sic appellant; Mexicenses verò *Tziziqui* vocant; folia fert saligna, serrata, caules cubitales, è tenui radice assurgentes, flores luteos, in umbellam compositos. odorem, & saporem citra distinctionem villam Anisi, qualem folia quoque, & cetera eius plantae partes referunt. quo fit, ut Anisi speciem quampiam existimare aliquis possit. gustu acri, & amaro, & subtilium partium. Temperata amat loca, quales sunt Mexicenses agri, & calidiora quoque exornat, etsi in montibus solet etiam provenire. Floret imbrim tempore, id est Maio, vique in Septembrem, quod tempus Veri nostro responderet. Colligitur semen Novembri; folia, caulesque Februario, sed Decem-

bris radix. in orbem nostrum delata, Carpentario, quantum coniectura asserunt, non est, gauderet solo; hortosque Philippicos lata exornaret. Calida est, & sicca quarto fere ordine temperiei. vrinam elicit, menstrua evocat, abortum gravidis procurat, emortuosque partus trahit. quavis eius plantae particula quocumque modo illam corpori liceat admovere, pectori, tussique confert, flatum discutit, sistit alium nimis fluidam, oris halitum commendat, lac generat, venenis aduersatur, venerem stimulat, dolorem capitis leuat, amentibus fert opem, & a fulmine perterritis, atque stupefactis. fluxum sanguinis compescit, sitim hydropicorum extinguit, frigora febrim, suffitu illitque areet. & viperino adipi immixtam epotamque, aiunt ruptas venas refarcire. vaporem verò luris decocti eius naribus, immodico humore perfusus, ferre opem. & tritam, in sperfamque; auribus male habentibus. tumores praeter naturam, tusa atque admota dissipat, ventriculorum calefacit: fatietati & praecipue puerorum medetur. renum, ac vesicae lapillos, arenas, ac crassiores pituitam ibidem infartam abstergit. humores extenuat, admota cum melle ventriculo vomitum coërcet, pus gignit, ulcera sanat, vtero confert, cimices fugat, arcet hemiparaneas. Praecipua utilitas est, aquam, ubi aliquandiu maderit, novem diebus matutino tempore sumptam lychenas, & impetigines mire sanare.

Omnes haec vires, plerisque alijs ferulaceis conveniunt, ob subtilem illam vim penetrandi, qua in illorum sale subtilissimo consistit, quod in magna quantitate ex horum seminibus una cum oleo extrahitur.

De

De *PELON MEXIXQUILITL*, seu *Nasturtio Peruino*. Cap. XXXV.

Tavati
Mexico
Temporibus

TRANSLATVM quoque est ad Mexicanos, quorum viridariorum septa, & fenestras exornat, quod nostri Peruvianum *Nasturtium* occupare solent, Mexicenses verò *Pelon Mexixquilil*, seu *Pelon Chilli*. folia ferens obrotunda, & Veneris umbilico similia, sed exilia, & angulis quibusdam interdum variata, appendentiaque, pediculo nequaquam media parte sui, sed è loco in alterum circumferentiae ambitum inclinante, inferne squallentia, & virentia supernè. caulem rotundum, tenuem, volubilem, pergulisque, quibus ornatus gratia adhiberi solet, sese implicantem. florem è luteo rubrescentem, Aquilegiae, Osiridisque instar, gerentem inferna parte contortum tubulum, superiori vero septem foliolis constantem; quorum duo magnitudine praestant ceteris, ac duo alia minima lineas quasdam rubeas inscriptas gerunt, plagis Christi optimi maximi, quibus cruces passim exornari solent, haud dissimiles, tria vero reliqua, quae mediocria inter praedicta sunt, tria veluti clavorum capita. Calida & sicca haec herba est, ordine fere quarto. saporeque, & viribus nostras *Nasturtium* indistincta æmulatur similitudine, adeo ut in *Nasturtij* species, etsi longe forma differt, possit impune recenserit. viridaria, pergulasque, & figulinis vasibus lata, fenestras, atriaque ipsa exornat. Viret toto anno, floresque producit, nisi frigoris inclementioris afficiatur iniuria. Adhibentur flores acetarijs quae ex oleribus parantur, gratiamque ita, & saporis & aspectus addit. Ventriculo ex frigida causa imbecilli, aut flatu dolenti subuenit; tussi auxiliatur.

O 3



ijdem misceatur, & persimili quoque victus, cæterarumq; rerum, quas vocant, non naturalium, institutione exhibeatur, quemuis frigidificum affectum, aut a lue Hispanica profectum, mire curat. tussi antiquæ, astmaticq; medetur, flatum discuit, comminuit lapidem renum, & vesicæ affectibus ex frigore, ortis succurrit. dolores capitis, & quosuis alios, qui inueterati sunt, tollit. vitiatum colorem emendat, menses trahit, partus accelerat, reserat obstructiones, ac frigus pellit. Habetur hæc planta maximi ab indigenis, & computatur inter saluberrimas. Nascitur temperatis, frigidisq; regionibus Michuanensibus.

Apud Clusum in Exoticorum libris, duplex Aristolochia Clematidis describitur, una vulgaris, altera Betica, quibus hæc nostra annumerari potest. potius tamen ad longam ob radicis crassitiem referri debet.

Flos huius herbe, purpureus quidem est, sed misceatur ei quiddam viriditatis, fructus autem ab omnibus nostris Aristolochijs differi figura, que in nostris est rotunda, vel ovalis potius, at hic fructus quasi ex tribus est compositus, ut videmus in Nardio Indico.

De PIPERE rotundo.
Cap. XXXVII.



PIPER rotundum volubilis planta, ac similis illi, quæ Piper longum fert, frutex est folijs oblongis, ternis interuenijs secundum longitudinem procedentibus, distinctis, nullius fere acrimonia, & odoris, & semine racematim dependente. Sunt verò plantæ Piperis longi, nigri, & albi distinctæ, contra antiquorum lententiam, sed tamen congeneres, præcipue plantæ nigri Piperis, & albi. quæ adeo similes sunt, ut vix distingui possint, nisi fructus tempore, etiam ab incolis. Nascitur in multis Sines, atque Indiæ Orientalis locis. in cæteris verò consulas antiquiores, & Garciam ab Horto.

Admodum elegans quoque Icon, & descriptio Piperis extat apud Clusium libro primo Exoticorum cap. 19. & in notis ad Garcianum.



M A S .



FRUCTVS.



TACVACHE est radix Michuacamica purgans, quam alij Pusquam, Mexicenses verò Tlalan tlacacuilapilli vocant. Huius tres reperiuntur species masculinum nos, & foeminam depingi curauimus, forma & viribus valde similes. Vtraque, herba est fundens radicem longam, crassam, & lacte manantem, candidamque, & ex ea caules volubiles, tenues, & ornatos folijs raris, cordis figura, sed minoribus, floribus verò oblongis, & coccineis, ac fructu Peponis forma & magnitudine, lanugine obducto candenti, ac semine albo reterto, tenui, latoque, non sine bomicinis quibusdam filis argenteis, & lentis. Radix calida est quarto ferè ordine, siccaque, guttur deuorata vrens. purgat omnes humores per inferna, sed præcipue pituitam, sesquidrachmæ, duarumue drachmarum pondere, ex aqua, vinoque, iure pulli, aut ex tremulo

ouo

ouo voratu facilis, nec admodum ingrato gustu. Sunt qui lacte, aut expresso succo vtantur vice Scammonij. imò qui contendunt, plantam ipsam ad Scammonij genera attinere, addantq; in Electuaria sicca cum saccharo, mirabilemque dicant effectum præstare. Sunt qui radicem læuigatam, per noctem in aqua sex drachmarum pondere macerari permittant, mane percolent, & expriment, & aquam propinent, atque ita parum iniucundo vtuntur pharmaco. in penuria, aut caritate Scammonij, additur in Electuaria, quæ illud solent recipere, & perquam commodum præstat effectum. Sunt etiam qui radicem illitam, asserant mederi febribus, & liquorem instillatum, oculis. Tertia verò species nigricanti solo saxosis locis præcipue prouenit, & radicem fundit tenuiorem, quæ aptissima sit duarum drachmarum pondere, parando exoluenti Electuario, addito saccharo Tawhtique decenti mensura, aut Tragachanto. quo, ad leniter vacuandam bilem, aut pituitam, nequeas offendere præstantius vllum. Sunt qui ex iure decocti eius syrupum parent, qui trium vnciarum pondere pituitam, bilemque, mira facilitate purgat. Nascitur in calidis, planisque nouæ Hispaniæ permultis locis. etsi à Michuacanicis, vbi primum reperta est, & vis cognita, præcipuum, nobiliusque inuenit nomen. Nam & Temimiltensibus est familiaris, qui ferunt vrinæ euocandæ permixtam radicem caudæ Tlaquatrin æquis portionibus, miram exhibere operam. siccanda autem radix, atque ita deinde repouenda, cauendum ab herba quadam per omnia penè simili noxiaque.

Celeberrimum hoc Catharticum Michuacanicum (vix ex Authore nostro ac Monarde colligere licet) plures habet differentias. Monardes Bryonia similem plantam

TEOQVILIN.

vidit, nempe cuius fructus bacca quedam sunt exigua, nec ex eius familia inde remouenda quod ea non polleat acrimonia. Sapore enim facile augetur & minuuntur vt in Rapis manifestum est. Authore nostro hic primò quasdam Apocyni affines exponit, tertiam deinde quam forte eandem cum Bryonoide Monardis existimes. Inferius autem lib. 7. de herbis dulcibus cap. 34. Tlalan tlacacuilapilli aliàs è conuuluis. Omnes quidem volubiles sunt, & purgantes virtute. A Monarde descripta mitior est species, sicuti & quæ hic tertia ab Authore, & inferius posita dulciores quæ potius diuretica. Hæ vero priores mas, & femina acriores ceteris existunt magisque pollentes virtute vt potè quæ Scammonij emula dicantur. habes itaque plenissime Michuacamica hæc medicamina: consule & Monardem qui in huius tum historia, tum vt su copiosissimus est.



De

De *TEOQUILIN*, seu *saxeis vermibus*. Cap. XXXIX.

SPECTANDA constat forma *Teoquilin*. herbula namque est truncos initio mittens, veluti geniculatos, atque squamiferos, & circulis quibusdam palmarum instar præcinctos, qui capillis vndique prodeuntibus radicantur statim, terra solum atacta. & ex eisdem prodeunt folia cordis figura, rara, necnon & cauliculi, ni fructus vocare malis, Piperi longo per similes. Gustu odora est, acrisque, calida & sicca ordine tertio, aut fortassis quarto. Læuigata hæc, atque inspersa vulneribus egregie medetur, flatum dissipat, ventris ledat dolorem infusa, viscerum frigus pellit, hydropem sanat, vrinam euocat, aliosque huiusmodi præstat vsus. Subtiles fortitur partes, & innascitur saxi locorum humidorum, & calidorum.

Totus caulis est foliis vermicularis dicta contectus, & sulcus est punctatus, sicut etiam videmus in *Acoro*.

De *TLATLAHCAPATLI* *Alsinifolia*. Cap. XL.



HERBA est *Tlatlahcapatis* folia *Alsinæ*, exilesq; ferens, caules do-drantales, & exiguos, albosq; flores, radicem verò surculosam, inus ac extra ex albo rubescentem. Nascitur in collibus regionum calidarum, qualis est illa *Tezoqui*, & *Chietle*. Radix est dulcis, & nonnihil acris, calida, & sicca ordine tertio natura, nec lubricitatis expers. mirabile medicamentum, aduersus pectorum, & oculorum morbos, vrinam euocandam, & frigiditas alias affectiones propellendas, semiuncia eius matutino deuorata. quin tumores maturat, ac discutit. nec desunt, qui febres curare dicant. fortassis interpolatas, aut vacuata causa reliquas.

De

De *TEPEYAVTLI*, seu *YAVTLI montana*. Cap. XLI.

YAVTLI montana, seu *Tepeyautli*, quam alij *Yautli* citra cognomen vllum nuncupant, herba est folia ferens *Yautli* superius descriptæ similia, saligna, sed tamē minime serrata, ac longiora. caules tres altos cubitus, flores coccineos, & calyculorū forma oblongos. radices verò multas, fibratasque. Calidarū, ac frigidarū regionū alumna est, conualliuque, ac montium incolæ, & Septembri mense floret. gustu acris est, & odorata, ac facultate tertio ordine excalefaciente, tenuiuiamq; partium. succus dicitur mederi oculorum morbis, aut illius, aut ad motus capiti. vrinā, ac menses euocat, & quidquid in vijs vrinarijs, renibus, vesicae præter naturam continetur. absumit flatum, ventriculū, visceraq; omnia ob frigus languescētia confirmat, colorem vitiatum emendat, aluumq; cohibet. bibitur pulvis eius ex potione *Cacauatli* aduersus tussim, & pectoris frigiditatem. suffiantur aulæ ex ea herba in ignem coniecta, contra grauem earum odorem, & potissimum à morbidorum hominum halitu iniucundo profectum. medetur fatietati, alui torminibus, ac ventriculo frigida affecto intemperie.

De *YZTACTEX CALTLACOTL*, seu *Virga nigra saxorum*. Cap. XLII.



HERBA est *Yzactex caltlacotl* folia ferens *Vrticæ*, serrata. caules purpureos, teretes, quaternos cubitus longos. flores in cacumine comantes, pilosos, non fenscentes, & purpurascētes ex albo. Nascitur in locis saxosis *Xalatlahcēsum*. Sapor citra vllam distinctionem *Anisum* refert. Temperies calida, & sicca est, & tenues partes. Radix pugilli mensura tusa, deuorataq; ex aqua, seu vino sudorem elicit dolorem passis, atq; ita eū lenit, vt mirabile præstet ea in re operam.

Licet hæc herba sapore *Anetho* sit similis, tamen in genere ferulaceo locū habere nō potest. folia enim *Vrticæ* præsertim bina, ex opposito; flosque *Tanaceto* similis, nūquā in ferulaceis reperitur.

De

De *CAYOPATLI Vaxacens.* Elaphobosco Mexicano.

Cap. XLIII.

CAYOPATLIS herba, quam alij vocant *Cacapultic*, Michuacanenſes verò *Canuhme*, folia serrata producit quina, Angelicæ ferè forma, aut Elaphobosci, cuius speciem esse arbitror. caulem tenuem, sceniculaceum, minime tamen geniculatum. flores in umbellam compositos, & ex albo palleſcentes. ac semen, quod orbiculare est, saluosum, odorum, & paulisper acre. radicem verò digitalis amplitudinis, crassoq; cortice vestitam. Planorum, ac temperaturum locorum alumna est, & montium faucium: incola agri Vaxacensis, Ytzocanenſis, & Michuacanenſis. Radix, quæ calida & sicca est ordine secundo, initio Pastinacæ sapit, ac tandem acris sentitur, & guttur pungens. tusa, & admota umbilico, dicitur diarrhœas compescere. deuorata verò, tussi & raucedini auxiliari.

De *XOXONACATIC*. Hyacinthoide capillosa.

Cap. XLIV.



HERBA est *Xoxonacatic* folia habens Cæparum folijs simillima, verum breuiora, & angustiora. flosculos longos & luteos, pediculis appendentes exilibus. radicem orbicularem, succo manantem, Nucis Ponticæ magnitudine, operam quibusdam nigris capillamentis. Nascitur in frigidis, humidisq; locis, imbrium tempore. Binæ radices tuscæ, atque ex aqua deuoratz omnes humores purgant per inferna, citra ullam anxietatem, & laborem. leue, & securum est pharmacum, vt quod exhiberi soleat senibus, & natu minoribus, febrientibus, ac febre vacantibus, iacentibus in lecto, ac solita obeuntibus munera, seu virens, seu sicca. sed frequentius, & commodius sicca. seruatur verò duos, ac, si opus sit, tres integros annos. Aduersatur astmati eodem pondere. calida enim ordine secundo natura constar, lubricaque, ac guttur nonnihil vrenti.

Flores statim exeunt ab radice, vt in Colchico, & Croco.

De *ANCHOA*, seu *ZINGIBERE* masculo. Cap. XLV.

ANCHOAS folijs constar asperioribus, & crassioribus vulgari *Zingibere*, eadem forma tamen. radice quoque maiori, atque crassiore. sapore acriore cum quadam amaritudine. Vtus est. apud indigenas aduersus ventriculi, & alui affectiones ortas è frigore, contusi, & oleo Nucis Indicæ conspersi, atque ita applicati mirus. nec non aduersus plagas venenatas paratolychnio eodem oleo intincto, atque ita demum adacto. Addunt, vim medicamenti maiorem participare marem quàm femina. quo etiam vina quædam ab Indis Philippicarum Insularum parari solent, quæ ad præsens referre non est opus.

De *CHILLI* Indie Orientalis, seu *ZINGIBERE* femina. Cap. XLVI.



QUOD Mexicani *Chilli* Orientale vocant, Arabes, Persæ, & Turcæ *Gingibel* appellant, officinæ autem *Gingiber*, aut *Zingiber*. Duo sunt eius genera, mas, & femina. de mare sub *Anchoa* nomine præcedenti capite dictû. Femina vero, seu vulgare *Zingiber*, herba est duas tresue spithamas longa, radicibus tuberosis & transversis, vnde profert caules arundini similes, & in eis folia longa, & angusta, Iridi, aut Gladiolo paria, & in summis caulibus capitula Stœchadi quadrantenus similia. Nascitur in omnibus Indiæ Prouincijs, excultum satumq; semine, aut radice. nam quod sponte provenit flocci penditur. Nascitur etiam in Philippicis insulis, & translatum iam est ad Haitinos & Mexicanos, vbi id ad viuum exprimendum curauimus. ac ibidem seritur pingui solo, stercoreatoque, & pulchre exculto, & humilibus quibus-

dam arboribus adumbrato, regionum calidarum mense Martio, radice in frusta, pollicis magnitudine, dissecta, quinque digitorum interuallo, ac totidem pene profunditate. tegitur terra, rigaturq; statim à satu, ac deinde bis per singulas quasque septimanas, aut semel ratum si vides sit natura locus. sarriendum etiam est, sed ita vt plantæ nouellæ non conuellantur, aut vlla afficiantur iniuria. est autem terra, ter quateruè repastinanda per singulos annos. Viademia fit areſcentibus folijs; quod iuxta initium Ianuarij accidere solet. vulso verò, vt commodè recondi possit, corradendus exterior cortex est. conijciendumq;

dumq; in labellum plenum muria, & permittendum ibi horam vnam, aut dimidiam manere. mox Soli exponendum æquali temporis intervallo. ac demum stragulis sub recto insternendum, donec humor omnis exhalet. quod si adhuc madens perseveret, Soli rursus exponi oportebit. Si vero transierit conveniat, terra operas radices servari est necessarium thedis inclusas, dulcique aqua, aut imbris quoties dictum est irrigatas noctu operiri, atque interdium patere cælo. De facultate nihil in tanta luce dicere opus est. Illud narrant incolæ Indiar Orientalis, concisam hanc radicem, permixtamq; alijs herbis, & aceto, oleo, ac sale conditam, in acetarijs edi. nam non in quibusque Indiæ partibus, præcipuè si humidiores sint, æquè est ac apud nos, acris, & vrens.

De Gîngibere plura vide apud Garciam libro 1. arom. cap. 4. 1. qui illud Iridi facit simile, non Arundini. Acoſta vero cap. 3. 2. ait esse folio Lachrymæ Iobi. Inde diuerſe plantæ videntur esse, ut etiam Cluſius, & Bauhinus annotarunt. Monardes autem cum Garcia conſentit, ut & Lobellius, qui Siliquam ſimilem Xyridi depinxit.

De ATZOYATL Mirabili Mexicana. Cap. XLVII.



HERBA est Atzoyatl, folia ferens hirsuta, & mollia, & figuram cordis, quanquam longiora sunt, æmulantia. caules numerosos, geniculis rubris interſtinctos. flores extra rubeos, intra verò candentes, palmum longos calicum prolixiorum forma, ac radices fibris similes. saporem, & odorem Anisi profert, non sine quadam acrimonia. frigidorum, montosorumque locorum, alumna

alumna est, & flores Septembri mense mittere solet. Calida, siccaq; temperice constat, cum adſtrictione, & partium crassitie: quamobrem dyarrhoæas coërctet, ventriculum firmat, flatum discutit, & dolorem è frigore natum tollit. Videtur hæc esse quedam Species Mirabilis Peruviana: respondet enim & figura totius plantæ, & vires. Acrimonia enim evidens est in nostrâ Mirabili.

De COCOCAQVILITL, seu Olera Aquatico. Cap. XLIX.



COCOCAQVILITL herba. est folia Oryzi proferens, sed profundius serrata, ac veluti sinuosa, punctisq; luteis distincta: caules sexangulos, ternos: flores Vetonice altilis, seu Cempoalxochitl sylvestris: quorum folia coccinea sunt, in medio verò apex croceus eminet. Prodeunt ij à calicibus quibusdam squamosis. Cyano haud dissimilibus: radices verò fibratas: & planta trium cubitorum assequitur longitudinem. Flos, foliaq; odora sunt, & acris saporis, illum Nasturtij paullisper imitantis, vnde euenit ei nomen. Eduunt eam pro olera indigenæ. Vrinam, & menstrua euocat, flatum discutit, calefacit ventriculum, crassos humores attenuat, cor roborat, & vtero confert quomodolibet applicata. Seri semine potest, ad species Cempoalxochitl, ut dictum, referenda, quod odore etiam eius apparet indicari.

De TETZMITL TONALLAE Sedi Mistica. Cap. XLIX.

SPECIES videtur Sedi Tetzmil Tonalla. herba namque est folia ferens longa, & angusta, raraque; & iuxta extrema latiora: caules teretes, flores verò orbiculares, & candentes, ac radices capillis similes. Doloribus vniuersi corporis medetur, appetentiam excitat, extergit varos, vomitum ciet, vstaq; curat. Ad vomitum ciendum bibendus est succus, atque ita longis, & infanabilibus medetur morbis. Lubrica videtur, & nullo insigni prædita sapore, etsi, cum primum linguæ admouetur, nescio quid acrimoniæ sentitur. Nascitur in calidis Mistica Inferioris, iuxta littora fluuiorum.

Conuenit hoc Sedum cum Vermiculæ caustica in viribus: figura verò potius cum Sedo communi. Mirantur aliqui in eodem Sedi genere esse herbas calidissimas, ut est Sedum vrens, alias verò frigidissimas, ut sunt reliqua omnia Sedi genera: putantque in vno genere semper easdem facultates esse debere. hi si diligentius